



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm II. Licet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

Licet.

PARAPHRASIS.

Accidit, vt tametsi mulieres alienationibus dotium aut donationum propter nuptias se non contravēturas jurārint, nec vi, nec dolo adductæ; nihilominus apud seculares Iudices audiantur, si alienationes retardare velint, ideò hic mandat Bonifac. VIII. vt Iudices per locorum Ordinarios sub censura adigantur ad observandum jus Canonicum, quo decernitur, vt tale mulierum iuramentum obliget, ita enim res postulat, vt animarum periculis obviatur.

SUMMARIUM.

1. Alienatio Fundi dotalis, aut propter nuptias donati, aliās invalida, iuramento mulieris confirmatur.
2. Iudex secularis in foro suo secundum Canones iudicare debet, si agatur de vitando peccato, & ad hoc per censuram etiam compelli potest.

1 **Not. I.** Alienatio fundi dotalis, aut propter nuptias donati, licet alioquin irrita fit, tamen per iuramentum mulieris confirmatur, ita etiam sumitur ex c. 2. De pactis in 6. & dixi in c. Cum contingat. 27. extra. h. tit. & tradunt Geminian. & Franc. n. 1. consentit authentica, Sacramenta puberum C. Si adversus venditionem.

2 **Not. II.** Iudex secularis in foro suo secundum Canones jurare debet, si agatur de vitando peccato, & ad observationem hanc juris Canonici, per censuram Ecclesiasticam compelli potest.

Porro ratio & decisio ista capituli tantum ostendit, quòd Iudex secularis pronunciare debeat, iuramentum obligare ex virtute Religionis, ideòq; mulieri concedendum non esse, vt alienationem adversus iuramentum suum revocet; num verò ipsa alienatio per iuramentum confirmetur, ita, vt exinde actio iustitiæ oriatur, de hoc jus Canonici

eum Iudicibus secularibus nihil præscribit, videtur tamen forum civile, & in hoc jus Canonicum imitari. *argum. cit. authent. & dixi tr. 3. c. 8. n. 1.*

CAPITVLVM III.

Cum in positionibus.

PARAPHRASIS.

Titius in Prælatum electus cum aliquis ad impediendam eius confirmationem se opponeret, post iuramentum editum de veritate dicenda, positiones, seu responsiones manifestè contrarias fecit. Ea propter Bonif. VIII. ipsum periurum esse declarat, & ideò à jure electionis removendum, præterquam si iusta & rationalis causa eum excuset, sed & idem dicendum, si procurator eius, ipso expressè mandante vel postea sciente & ratum habente, tales contrarias positiones eiusdem nomine fecerit.

SUMMARIUM.

1. Positiones & Responsiones à litigantibus fieri solent præmisso iuramento.
2. Periurus est, qui assert positiones contrarias, vel contradictorias, nisi in continenti corrigat, vel causam erroris sui per intervallum alleget.
3. Periurus in confirmatione repelli potest à jure electionis sua.
4. Delictum suo nomine patratum ratum habens, censetur illud mandasse.

1 **Not. I.** Positiones & responsiones à litigantibus fieri solent, præmisso iuramento. c. 2. De confessis in 6. consequenter si quis positiones, responsionesve contrarias, aut contradictorias afferat, censeri debet periurus, nisi in continenti corrigat; vel etiam per intervallum iustam causam sui erroris allegans.

2 **Not. II.** Periurij crimine irretitus in confirmatione repelli potest à jure electionis suæ, quia cum periurus, postquam in beneficio